

qui non capiti apponenterent, sed eorum loco finapismis, & vesicatoriis vni sunt, quibus primò fiunt vesicæ, & postea crustæ, & ita purgatur summo perè caput, estque tutius, quia non penetrant cranium, cuius penetratio est periculosa, ne cerebrū ipsum concidat. Erit itaq; hoc optimū exiccare, & facere diversionem. Tertiò id libenter facerem, quia materia generatur quotidie in ventriculo: quæ sursum in caput ascendit, velim, vt ea deorsum vertatur: quod fieret pillulis ex agarico & rhabarbaro. Vel darem aggregatiuas sine colicinthide tamen, & scammonio: nimis enim periculosest, si illis assidue vtatur. Vel aliae fierēt similes pro eadem intentione. Credo, quod si nos. primum euacuaremus ventriculum & bilem, quæ generatur in hepate, & faceremus, quæ prædicta sunt, quod sanitati restitui possit: & nisi his iuuetur, puto omnino non posse curari. Quantum ad præsens symptomam, laudo, vt perseveret in his, quæ à vestris Excell. rectè incœpta sunt, & nō accedant ad aliam opinionem, nisi alia accidentia contigerint. Igitur modò decocto ligni vtatur.

CONSILIVM XV.

De dolore capitinis, cum anhelitus difficultate, & dolore dextri lateris, & febre leui, pro puella Maurocena in colloquio.

GOVENIMVS huc vt pro virili sanemus hanc. Vt autem curemus rectè, oportet cognoscere ægritudinem & causas, & corporis naturam: neq; tantummodo hæc cognoscere debemus, sed loca affecta particularia, & naturam ipsorum. Si enim ista nō cognouerimus, fieri non poterit, vt habeamus indicationes curandi. Primo ergo quæ sit ægritudo, vel quæ sint ægritudines, & quæ symptomata, videamus. Secundo quæ sint causæ facientes eam. Tertiò, quæ loca affecta, & quæ sit temperatura totius corporis. Postea ad curationē accedemus, & procedemus per capita, & conclusiones, quoniam cum Doctoribus, & non cum schoralib. habemus sermonem. Pro recta igitur cognitione, oportet remeinorari quedam audita heri, quod hæc puella ferè ab ortu suo, ichoras & fluxus quosdam emanantes à capite habuit. Deinde audiui, quod icteritiam patitur, vt à quacunq; leui causa in citrinitatem totius corporis deuenerit. Ista sunt rememoranda, quia erunt signa rememorativa, & coniecturæ ad cognoscendum essentiam & causas ægritudinis. Quantum ad dispositiones attinet, quibus affligitur in præsentia, audiui primò, quod dolorem capitinis patitur, & diu perseverasse, vt etiam nunc conqueratur. Deinde quod tanta difficultate anhelitus labore, vt non sufficiat diaphragma & thoracis musculi ad dilatandum pectus: sed etiam musculi ventris inferiores & superiores, qui non faciunt ad dilatationem pectoris, nisi urgente necessitate. Conqueritur etiam de dolore ferè continuo existente circa latus dextrum supra costas mendoras è regione hepatis. Præterea de doloribus infestantibus noctu iuncturas brachiorum & tibiarum aliquando, sed maximè brachium dextrum. **Habet**

A etiam febrem continuam, vnde hæc maximam necessitatem esse oportet: quoniam pulsus seruat motum uniformem, & motus hodiernus uniformis est cum motu hesterno. **Pulsus** verò vnum modum habet, insigne scilicet duritatem, ac si chorda arcus extensi tangeretur: **vrinæ** sunt crassæ, multam & fœculentam habentes subsistetiam, non multam tamen intensæ rubedinis: siti que minime vexatur, dolor tamen vehemens est. Omnia ista rectè consideranda sunt, & quæ possint esse causæ istorum dispositionum: & fortè vnicā erit causa omnium istorum symptomatum. **Ego** incipiam cominmemorare dispositiones præter naturam. **Habet** caput quod continuè abundauit multis ichoribus, qui tamen cessauerunt. Citrinitatem etiam habet, qua semper ferè vexatur ex leui occasione. Consideremus & complexionem corporis naturalem, & quia hæc puella multam copiam bilis generat, multa habet caliditatē in hepate, ex qua sanguis calidior generatur, cùm bilis sit veluti spuma, & tanto seruentior sanguine, quanto subtilior. Et cùm humor effundatur per totum, signum est, caliditatem plurimam in hepate esse. Multitudo etiam sanguinis indicat eius temperaturam calidam & humidam. **Sed** quia video plurima pituita abundare, vt ex dispositionibus illis appetit, & ægritudinibus quibus nunc torquetur, quæ dependent à pituita, ex hac coniectura iudico ventriculum frigidum esse. Maxima igitur est inæqualitas duorum membrorum, vnde necessario multiplicantur multi mali humores. Nam vtraq; mala intemperies facit semper malas coctiones. Cùm in ventriculo sit frigiditas præter naturam, male concoquit, & humores crudi aggregantur: & quia secunda cōcoctio non corrigit primam: vbi enim excesserit prima, non corrigitur, quin humor crudus non sit crudus, cùm in ventriculo est genitus: & cùm hepar in temperatum est, in quo sanguis generatur, si excedat ad intensum, adurit: si deficit, crudos generat humores. Cùm ergo hepar ratione caliditatis cholericum generet sanguinem, ventriculus ratione frigiditatis pituitam, non est mirum si omnia hæc contingant, maximè cùm natura imbecillum caput habeat suscipiens bilem plurimam, ac pituitam simul: quia Galenus & Auicenna inquiunt à natura ita institutū esse, vt debilia membra superfluitatem suscipiant aliorum. Non est mirum igitur, si puellæ debile caput, vt ex principio natuitatis appetit, excrementa in ventriculo, hepate, & in ambitu totius genita suscipiat: ascendunt enim bilis & pituita ad caput, & ibi incrassata descendunt, & omnes dispositiones, quibus affligitur, generant. Et quia perpetuo vapores ascendunt ad caput imbecillum & magnum, & hepar calidum, & vetriculum frigidum habet: ideo habet omnes causas, vt incurrire potuerit in has dispositiones, quia habet omnia quæ possunt replere caput. Et ideo dolorem capitinis incœpit pati, qui perseverauit, quia causæ perseverabant: & quia repletio ad intentionem deuenit, defluxū fecit, & ad inferiora decurrens ad loca magis præparata expellitur: sunt autem imbecilliores iuncturæ. Descendit ergo materia pituitosa